



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

Secundum Exercitium Militare Divinae Pietatis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

mo, & hominibus, studeat esse Pius. Enimverò pietas Christiana ad omnia utilis, via est Regia ad immortalem Celsitudinem, qui illâ caret, quantumvis cæteris abundet, nil magni possidet.

SECUNDUM EXERCITIUM
MILITARE DIVINÆ
PIETATIS

*Mensis Regalis pientissimi Regum Is-
raël, Viri secundum Cor Dei. Id
est: Sagitta electa, aut Oratio-
nes jaculatoria ex Psalmis Davidi-
cis, in singulos dies mensis distri-
buta.*

Sagitta tua infixæ sunt mihi. Psal. 37.

NARRAT Sanctus Hierony-
mus, suo tempore rusticos
& artifices Christianos, in
totâ ferè Palestinâ, Psalmos
Davidicos decantare solitos, illi du-
cendo aratrum, hi mechanica opera
exercendo. Quàm esset laudabile,

pium, & salutare, omnibus ad Bellum Sacrum, contra inimicos Crucis Christi proficiscentibus: si Duces exemplo suo, gregarios milites hujusmodi orationibus, excitarent, ad implorandum Dei auxilium, sicut faciebant gloriosi Machabæi, præliantes prælium Domini, cum lætitia. Non cedant illis in pietate ad omnia utili, Principes, Duces, & milites Christiani; qui sub Crucis vexillo militant militiam Sacram. Sit ergo hic velut mensis Belli Sacri.

I, D I E S.

*Peccavi Deo meo, peccatum meum
contra me est semper.*

1. **M**iserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.
2. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.
3. Averte faciem tuam à peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele:

316.
cor contritum & humiliatum Deo
cordis mei, ne despicias, propter faci-
ciem Christiani JESU.

II. DIES.

1. **C**Or mundum crea in me Deus,
& spiritum rectum, innova in
visceribus meis.

2. Ne projicias me à facie tua, & Spi-
ritum Sanctum tuum ne auferas à me.

3. Redde mihi lætitiã salutaris tui,
& spiritu principali confirma me. Illu-
mina oculos meos, ne unquam obdor-
miam in morte: nequando dicat mihi
inimicus meus, prævalui adversus eum.

III. DIES.

1. **D**omine ne in furore tuo arguas
me, neque in ira tua corri-
pias me.

2. Miserere mei Domine quoniam
infirmus sum, sana me Domine, quo-
niam conturbata sunt ossa mea, & ani-
ma mea turbata est valdè, sed tu Do-
mine usquequo?

3. Convertere Domine & eripe ani-
mam meam, salvum me fac, propter
misericordiam tuam; quoniam non est

in morte, qui memor sit tui, in inferno autem, quis confitebitur tibi?

I V. D I E S.

1. **D**Eus cordis mei, delictum meum cognitum tibi feci, & in justitiam meam non abscondi.

2. Dixi confitebor adversum me in justitiam meam Domino; & tu remisisti iniquitatem peccati mei.

3. Tu es refugium meum, à tribulatione quæ circumdedit me; exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua, libera me. Esto mihi in Deum protectorem, & in Domum refugii ut salvum me facias.

V. D I E S.

1. **I**niquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave, gravatæ sunt super me.

2. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

3. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. In te Domine speravi;

tu exaudies me Domine Deus meus;
Educ me de laqueo quem absconde-
runt mihi, quoniam tu es protector
meus.

V I. D I E S.

1. **N**E derelinquas me Domine
Deus meus, ne discesseris à me;
intende in adjutorium meum, Domi-
ne, Deus salutis meæ.

2. Domine exaudi orationem meam,
& clamor meus ad te veniat: Ne aver-
tas faciem tuam à me, in quacumque
die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
In quacumque die invocavero te, ve-
lociter exaudi me.

3. Ne revoces me in dimidio die-
rum meorum. De profundis clamavi
ad te Domine, Domine exaudi vocem
meam. Fiant aures tuæ intendentes,
in vocem deprecationis meæ. Si ini-
quitates observaveris Domine, Do-
mine quis sustinebit.

V I I. D I E S.

1. **D**omine exaudi orationem meã,
auribus percipe obsecrationem
meam; in virtute tua exaudi me, in
iustitiã.

2. Non intres in iudicium cum ser-
vo tuo, quia non justificabitur, in
conspetu tuo omnis vivens.

3. Auditam fac mihi manè miseri-
cordiam tuam, quia in te speravi.

VIII. DIES.

1. **N**Otam fac mihi viam in qua am-
bulem, quia ad te levavi ani-
mam meam.

2. Eripe me de inimicis meis Do-
mine, ad te confugi: doce me facere
voluntatem tuam, quia Deus meus
es tu.

3. Ne perdas cum impiis Deus ani-
mam meam, & cum viris sanguinum
vitam meam. In manus tuas commen-
do spiritum meum, redemisti me Do-
mine Deus veritatis.

IX. DIES.

1. **D**Eus, Deus meus respice in
me, quare me dereliquisti;
longè à salute mea verba delictorum
meorum.

2. In te projectus sum ex utero, de
ventre matris meæ, Deus meus es tu,
ne discelleris à me.

3. Tu Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice: inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

X. D I E S.

1. **E**Rue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam?

2. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.

3. Custodi animam meam, & erue me, non erubescam, quoniam speravi in te. In manus tuas Domine commendo spiritum meum: miserere mei & salva me.

X I. D I E S.

1. **A**D te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.

2. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

3. Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es Deus Salvator meus,
& te

& te sustinui tota die: miserere mei, &
exaudi orationem meam.

XII. DIES.

1. **D**elicta juventutis meæ, & igno-
rantias meas ne memineris Do-
mine.

2. Secundum misericordiam tuam,
memento mei tu, propter bonitatem
tuam Domine.

3. Propter nomen tuum Domine,
propitiaberis peccato meo; multum
est enim: misericordia tua super om-
nia opera tua.

XIII. DIES.

1. **R**espice in me, & miserere mei,
quia unicus & pauper sum
ego.

2. Tribulationes cordis mei multi-
plicatæ sunt, de necessitatibus meis
erue me.

3. Vide humilitatem meam, & la-
borem meum: & dimitte universa de-
licta mea, peccavi Deo meo.

XIV. DIES.

1. **R** Espice inimicos meos; quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.
2. Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.
3. Libera Deus Israël: ex omnibus tribulationibus suis.

XV. DIES.

1. **V** Tinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas?
2. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis?
3. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

XVI. DIES.

1. **R** Etribue servo tuo, vivifica me: & custodiam sermones tuos.
2. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.
3. Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua: peregrinus sum sicut omnes Patres mei, quando veniam & apparebo ante faciem tuam.

XVII. DIES.

1. **A** Ufer à me opprobrium; & contemptum, quia testimonia tua exquisivi.

2. Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me: secundum verbum tuum.

3. Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis: confirma me in verbis tuis.

XVIII. DIES.

1. **L** Egem pone mihi Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper.

2. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam; & custodiam illam, in toto corde meo.

3. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.

XIX. DIES.

1. **A** Verte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.

2. Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

3. Amputa opprobrium, quod sus-

picatus sum : quia iudicia tua jucunda. Ecce concupivi mandata tua Domine, doce me facere voluntatem tuam.

X X. D I E S.

1. **M**emor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum, vivificavit me.

2. Misericordiâ tuâ Domine plena est terra: justificationes tuas doce me.

3. Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine: secundum verbum tuum, Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.

X X I. D I E S.

1. **B**onum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.

2. Bonum mihi lex oris tui; super millia auri & argenti.

3. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.

XXII. DIES.

1. **Q**ui timent te, videant me, & lætentur; quia in verba tua superperavi.

2. Fiat misericordia tua, ut consoletur me: secundum eloquium tuum seruo tuo.

3. Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam quia lex tua meditatio mea est.

XXIII. DIES.

1. **C**onfundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

2. Convertantur mihi, timentes te, & qui noverunt testimonia tua.

3. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

XXIV. DIES.

1. **D**efecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum, superperavi. Inclina Domine aurem tuam & exaudi me: quia inops & pauper sum ego.

2. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando consolaberis me?

3. Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.

XXV. DIES.

1. **L**ucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Juravi, & statui custodire omnia judicia, justitiæ tuæ.

2. Humiliatus sum usquequaque Domine: vivifica me secundum verbum tuum.

3. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & judicia tua doce me.

XXVI. DIES.

1. **A**djutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum speravi.

2. Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam; & non confundas me ab expectatione mea.

3. Adjuva me & salvus ero: & meditabor in justificationibus tuis semper.

XXVII. DIES.

i. **C**onfige timore tuo carnes meas:
 à judiciis tuis enim timui.

2. Feci iudicium, & iustitiam; non
 tradas me calumniantibus me.

3. Suscipe servum tuum in bonum:
 non calumnientur me superbi.

XXVIII. DIES.

Fac cum servo tuo secundum mi-
 sericordiam tuam: & justificatio-
 nes tuas doce me.

2. Servus tuus sum ego: Domini
 intellectum ut discam mandata tua.

3. Tempus faciendi Domine; dissi-
 paverunt legem tuam.

XXIX. DIES.

i. **A**spice in me & miserere mei:
 secundum iudicium diligen-
 tium nomen tuum.

2. Faciem tuam illumina super ser-
 vum tuum, & doce me justificationes
 tuas.

3. Clamavi ad te saluum me fac: &
 custodiam mandata tua.

XXX. DIES.

V Ide quoniam mandata tua dilexi
Domine: in misericordia tua vi-
vifica me.

2. Septies in die laudem dixi tibi:
super iudicia iustitiæ tuæ.

3. Appropinquet deprecatio mea,
in conspectu tuo Domine: juxta elo-
quium tuum, da mihi intellectum,
intret postulatio mea in conspectu tuo;
secundum eloquium tuum eripe me.

XXXI. DIES.

1. **P**rotector noster aspice Deus:
& respice in faciem Christi tui;
propter David servum tuum: non aver-
tas faciem Christi tui.

2. Unam petii à Domino, hanc re-
quiram; ut inhabitem in domo Do-
mini omnibus diebus vitæ meæ, ut
videam voluptatem ejus.

3. Quemadmodum desiderat cer-
vus ad fontes aquarum, ita desiderat
anima mea ad te Deus: Deus cordis
mei, & pars mea Deus, in Æternum:
adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.
Satiabor cum apparuerit gloria tua. In